



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Tractatus XV. De Sacramentali Confessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

Peccata commissa rite confiteri.

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONE.

Adeamus ergo cum Fiduciâ ad thronum gratiæ,
vt misericordiam consequamur, & gratiam in-
ueniamus in auxilio opportuno. *ad Heb. 4. v. 16.*

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & ju-
stus (Deus) vt remittat nobis peccata nostra,
& emundet nos ab omni iniquitate. *1. Ioan. 1.
v. 9.*

*Quare gratia peccatori facienda, hominibus à Christo sit com-
missa. Qualis gratia in sacro Pœnitentiæ tribunali præ-
stetur. Quid exigatur vt Confessio sit legitima. Quomo-
do facienda peccatorum enarratio. Denique quo pacto su-
peranda omnis à confitente verecundia.*

P R O O E M I V M.

*Non suffi-
ciat de pecca-
tâ pœnitere:*



Equidquam excussa sunt antea actæ vitæ scelera, ne-
quidquam seriâ pœnitentiæ animi retractata; nisi
& ad hoc allaboret Conscientia, vt eorum gratia ab
offenso Numine aliquando tandem auferatur. Si
enim per procacem petulantiam fauore paterno ex-
cidit puer, sanè Pædagogi munus est, non tantùm in acta clien-
tis

eis sui inquirere, eique fœditatem rei ponere ob oculos; allaborandum ei est pro viribus præterea, irato patri vt satisfiat, pueri delicti veniam impetret, eumque benevolentia pristinae demum restituat. Hoc igitur sextum officium est eius quem Pædagogum nobis assignauit Deus, nempe Conscientia: illius inquam munus est, scelerum, quæ negare non potest nec verò etiam excusare, gratiam petere, infractamque tam indignè Patris optimi benevolentiam restaurare. Attende nunc, peccator, admirandam prorsus facilitatem offensi Dei. Totum reconciliationis faciendæ negotium, ad homines ablegauit, eorumque, causam suam commisit arbitrio, ne fortasse irati Numinis conspectum fugias. Thronum gratia in terris erexit, ad quem tota gratia dandæ, amicitiaque componendæ, deuoluta est iurisdictione. Huc igitur referenda est causa, hîc tota decidenda & componenda est lis. Inauditâ autem causâ cum nihil agatur legitimè, hoc nunc demum restat, vt ea fideliter pro Curia spiritali recitetur, sinceraque sit criminum, quorum gratia faciendâ est, Confessio. Neque enim, ne in foro quidem humano, delictorum datur impunitas à Principe, nisi quorum in libello supplicæ facta est diserta mentio. Istud igitur quo pacto à Conscientiâ faciendum sit; Confessio inquam quâ ratione instituenda, vt sit legitima, agendum est modò. Et primò quidem quanta sit Throni gratia à Christo instituti iurisdictione, & quàm humanè à Christo actum sit, eam hominibus quòd commiserit, exponemus. Deinde cum Confessionem illam difficilem garriant hæretici, imò viribus humanis imparem, totum Confessionis faciendæ ordinem & stylum explicabimus: hoc modo calumnia impacta diluetur; patebitque omnibus quàm suaue sit jugum à Christo peccatori impositum, quod sola hominum aut improbitas, aut ignorantia facit esse difficile.

*vt eorum
habeatur
gratia, faciendâ est
legitima
facti Confessio.*

Tribunal in quo criminibus Gratia concedenda est, rectè ho-
minibus à Christo conceditur, vt in peccatoribus fi-
ducia adeundi hunc thronum excitetur.

Suadetur
peccatori vt
thronum
gratia sup-
plex adent.

Omnia nunc tandem in comperto sunt scelera, quæ sibi Deo, que fidelis Conscientia, pro sibi imposito munere potuit indagare. Deplorauit miseram sortem peccator; pudet peccasse, criminis sese agnoscit reum, eaque meruisse supplicia quæ non nisi æternis ignibus sint expianda. Detestatur itaque impudentiam suam à seipso conuictus reus, amicitiaque diuinæ à se tam indignis modis violatæ redintegrationem, toto animo concupiscit. Sed quid ager? quò se vertet? quæ merita redintegrandæ gratiæ ex suâ parte poterit adferre miser homuncio? aut quos causæ suæ patronos adhibebit, tot & tam infandis titulis, hostis Dei? Patronos certè defendendæ causæ tam perditæ si conquirimus, aut merita nostra placando Numini si inuestigamus, desperata prorsus res est. Neque enim ad iustitiæ tribunal euocanda est hæc causa, nec ad iudicii trutinam expendenda; cum nulla prorsus defensionis iustæ pateat via. Hoc cum ita sit, atque adeo præclusus in iustitiæ subselliis omnis euadendi modus, sanè ex consilio Apostoli, *Adeamus ergo dum fiduciâ thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur*, qui aliâ nullâ ratione, iustitiæ seueritatem pessumus declinare.

Perplacet profectò opportunum in re perditissimâ consilium: præsertim dum istud attendo, quod mihi de adeundi fiduciâ infusurrauit Apostolus. Quid enim quæso est in peccatore miserrimo, & tamen impudentissimo, quod quidquam fiduciæ ad adeundum hunc thronum gratiæ possit meritò suppeditare? Nihil prorsus. Sic est; conclamarum est fateor, si te aspicias ô peccator; si tua intueris, actum est de te. Verùm Iudicem attende huic throno præfectum, ait Paulus, atque illico redibit animo vigor. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cælos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem*, seu vt D. Ambrosius, *spes nostræ confessionem id est professionem: non enim habemus Pontificem qui non possit*

Ad Hebr.
4. v. 16.

Ibid. v. 14.
& 15.

possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiæ. Quasi si dicat Apostolus, tam misericordem, nostrisque miseriis tam benignè indolentem judicem cum habeamus, profectò magnis animis, magnâque consequendæ veniæ fiduciâ adeamus eum qui naturæ nostræ similitudinem induit, ut naturæ perditæ subveniret. Nec verò te Judicis nomen terreat; necdum enim justitiæ tribunal occupat, sed gratiæ throno præsidet; ex illo tamen sententiam laturus aliquando, si hunc adire neglexeris. Hæc quidem jam aliàs expendimus. Adeamus ergo si sapimus thronum gratiæ, antequam in Iudicis seuerissimi tribunal commutetur. Adeamus inquam, dum rebus nostris ritè procurandis tempus est accommodum, ut gratiam inueniamus in auxilio opportuno, seu tempestiuo; erit enim aliquando tempus, uti importunum precibus lachrymisque frustra profundendis, ita & præstandæ gratiæ minimè opportunum.

Tract. 12.
§. 2.

3. Neque verò hîc multis inquirendum est, vbinam terrarum hic thronus gratiæ fixus sit; scimus enim eum qui de seipso apud Joannem testatur, omnem sibi generis humani dijudicandi jurisdictionem esse concreditam; Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium: scimus inquam hunc Filium Dei, quia & Filius hominis est, humanæ imbecillitatis misertum, thronum hunc in terris fixisse, suam jurisdictionem Ecclesiæ, sponsæ sibi dilectissimæ, concredidisse, eiusque exercitium Sacerdotibus, hominibus nempe, commendasse. Idque disertè docet Tridentinum hisce verbis:

Et thronum hunc Sacerdotibus, tanquam Vicariis concredidit.

Ioan. 5.
v. 22.

Trid. sess.
14. c. 5.

Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes suis Vicarios reliquit tamquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. En jurisdictionem Filii Dei communicatam filiis hominum; hominibus inquam naturæ fragilitati expositis: ut tantò majori cum fiducia humanos vultus subeat peccator, minùsque erubescat scelera sua confiteri homini iisdem criminibus aliquando inuoluto, aut saltem obnoxio. Quis enim non misereatur de facili, qui se miserum aut esse, aut esse posse prudens meminerit?

ut majori fiducia peccator ad eos, tanquam ad sui similes accedat.

4. Hinc sanè benevolentiz fuit maximæ, Christum neque per se

*Cur Christi
suis Hu-
manitati
iura, aut
Angelis aut
Sanctis po-
tatem
eam non
conseruare?*

*Ratio pri-
ma*

Secunda

Tertia

se huic throno præsidere ex eoque jus dicere, neque etiam Angelis, Beatifue mentibus eum voluisse concedere. Magno inquam consilio, hominibus vicariam potestatem delegauit; vt tantò maiorem peccatoribus fiduciam suggereret referendi gratiam ab iis subfelliis, è quibus à mortali homine jus dici mortalibus persentiscerent. Quod si enim Humanitati suæ auctoritatem illam Christus referuasset, humana licet sit eius natura nostræque persimilis, adeoque perquàm humana & in omnem commiserationem peccatori exhibendam summoperè inflexa; gloriosa tamen est, & extra vicissitudines omnes naturæ posita; præterquam quod nullâ vmquam peccati labe fuerit implicata. Sic ergo, hominem tam gloriosum & longè supra maiestatem omnem dignitate euectum, præ humanâ fragilitate, adire puidisset forsitan peccatorem gratiæ petendæ causâ, cuius Patrem à se meminerit per summam impudentiam violatum. Hominis igitur fragilitati vt succurreret *Jesus Christus è terris ascensurus ad celos*, jurisdictionis suæ exercitio statuit abstinere, illudque in Vicarios à se destinatos transfundere. Vicarios autem noluit aut ex Angelis, aut ex Beatorum mentium cœtu assumere; *primò* quidem, quòd corpore omni cùm careant, humanis oculis cælestes illæ mentes peruestigari non possint: atque adeo iudices eijusmodi humanis vsibus & commercio non fuissent accommodi. *Deinde*, etiamsi Diuinâ quâdam potentiâ facti fuissent aspectabiles, tamen maiestate hominibus prorsus inusitatâ, cælestique quâ eas condecorari decet gloriâ, perculissent homines; & quos spe gratiæ obtinendæ debuissent ad se allicere, proculdubio dignitatis splendore nimio, à subfelliis suis arcuissent. *Tertiò* denique, multum de præstandâ miseris hominibus misericordiâ detractum fuisset, si ea ab Angelis miseriarum omnium inexpertis, purisque scelerum fuerat obtinenda. Aliæ itaque creaturæ ratione præditæ cùm non sint super, ad meros homines deuoluta est ea jurisdictio: vt & faciliior esset paratiorque, ab homine homini præstanda gratia, & ad eam petendam aditus peccatori procliuior. En quàm humanè Christus egerit. Tantam rem, quanta est peccatoris cum Deo reconciliatio, homini concedidit, vt peccatori fiduciam faciat iudicis similitudo, humanoque commercio inita familiaritas. An autem de gratiâ obtinendâ desperandum est, vbi sanguis noster est qui iudicat?

Adamius

Adeamus ergo cum fiducia thronum gratie, in quo miseriae humanae dominantur, ut miseriis nostris finem faciant.

5. Quid, quod destinato consilio non innocenti homini, sed summo nuper peccatori jurisdictionem suam Christus tradiderit, tantum ut fiduciam adeundi iudicem, peccatori praeferret peccandi similitudo; & rursus, ut iudicis severitatem, ad misericordiam emolliret peccati à se commissi memoria? Quid enim? an non Petro commissae sunt claves regni caelorum? an non ei tradita potestas ligandi atque solvendi, quae deinde in Ecclesiam per eius successores, filo non interrupto, felicissime demanavit? Atqui perfidus fuit Petrus, benignissimum Dominum per summam infamiam ejuravit: & huic tam perjuro & infideli, jurisdictionem suam Christus credit? Hoc verò facere si mente jam statuerat, cur eum tam turpiter labi Christus est passus? Dicam. Ut peccatorem se Petrus dum meminit, misericordiae sibi tam de facili praestitae recorderetur; eamque discat gratiam praestare miseris, quam ipse in beneficentissimo Domino fuerat expertus. Hæc sanè D. Augustini mens est. *Idem, inquit, Beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit ut Ecclesiae rectori futuro, ignoscendi quaedam regula poneretur. Credende enim erant Petro claves Ecclesiae, imò credite sunt ei claves regni caelorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quae esset pro sua naturae vitij passionibusque, culpis involuta atque peccatis. Quid tum? tradenda igitur ei est regula. Sed quæ? Audi Augustinum: Videlicet ut in clauibus fidelis janitor, in sententijs esset clementissimus dispensator. Optimè. At quo pacto clementiam à Petro, homine austero & rigido, extorquebimus? Non alio sanè, quàm si & ipse peccato, & quidem turpissimo obnoxius, clementiam discat, dum experitur. Ita agendum sentit Augustinus. Erat enim, inquit, reuera hic Petrus paulò durior & severior, sicut eius austeritatem truncata ob Christi injuriam serui Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque severus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, quae venia commissis populis donaretur? Sed idcirco Diuina Providentiae secretum ita temperavit, atque permisit ut primus ipse laboretur ac rueret in peccatum, quò erga peccatores duriozem sententiam, proprii casus intuitu, temperaret.*

Neque innocentem hominem huic throno praeficit, sed Petrum peccatorem aliquando, magno sanè consilio.

D. Aug.
ser. i. ser.
4. post
Domin.
Palm.

6. Temperatam igitur cum noueris iudicis in te ferendam sententiam ó Peccator! suæque infirmitatis conscios, tuæ impi-

*Collectio
arguendorum.*

his

mis misereri scias eos qui Vicariam Christi jurisdictionem obtinent; nouerisque præterea, vt jam ostendimus, idcirco eos ad hoc munus præcipuè præ Angelis esse electos, & quidem destinato consilio optimi Saluatoris ex hisce terris ad cælos ascendentes, vt commodissimum obtinendæ gratiæ peccatoris iudicem designaret, eumque quem adire minimus subiret pudor; quis enim Angeli vultus ferret? sanè *adeamus thronum gratiæ*, tam gratiose hominibus contraditum, & sine dubio *miserordiam consequemur in auxilio opportuno.*

§. II.

Hoc verò majores peccatori animos dabit, quòd in hoc throno non detur nuda scelerum impunitas; sed quòd & gratia sanctificans infundatur; & perfecta ineatur cum Deo amicitia.

Gratia scelerum quæ à Senatu politico præstat, reo nihil dat præter impunitatem scelerum.

Alterum tamen est quod non pigeat meminisse, quodque fiduciam nihilominus adeundi throni tam benigni vehementer acuet. Nimirum, sacrum hoc gratiæ tribunal, non esse forensibus & ciuilibus omnino persimile, in quibus tamen etiam gratia criminibus aut datur, aut à Principe data declaratur. Longè profectò altioris nostrum est ordinis. In illis enim gratia quæ reo præstat, aliud nihil est, quàm criminis commissi impunitas. Nihil verò præterea reo datur, quò Principi à se offenso fiat gratiofus; nihil quidquam ei decoris additur, quò in amicitiam Regis mereatur admitti. Initur quidem aliqua cum offenso reconciliatio, sed quæ negatiua, vt summum, dicenda sit; id est eiusmodi, vt pœnas de commissâ in se, perfidiâ Princeps posthac sumpturus non sit. At quòd ad familiaritatem intimam cum Rege ineundam admittendus sit; quòd ad amicitiam adita adhibendus; quòd ad secretiora, vt inter amicos sit, benevolentiam signa admouendus; quòd diuitiis cumulandus; quòd nouis condecorandus sit honoribus, is qui rebellis nuper, perduellionis gratiam accipit, quis id speret? Quis id nisi demens sibi præstandum esse persuadeat? Sanè hæc quæ conceditur vitæ gratia, bona tanta
non

non accumulatur: multum est scelerato quod detur viuere, licet ei amicitia honorumue gratia denegetur.

8. Deinde, istud etiam video in humanam, quae à Senatu datur, Nec tolli commissi sceleris infamia, nec Principi facit gratiosum, scelerum impunitate potius quam gratiam, contingere; ut quamuis ea reo obueniat, poenaeque merita condonentur, labes tamen commissi criminis non penitus eradatur. Ut enim condonata sit re-belli perduellionis injuria; id est, ut eam puniri non velit Rex; manet id tamen hominum memoriae alte impressum, rebellem aliquando fuisse te: unde nescio quae, non in auctorem tantum, sed & in eius posteros infamiae deriuantur reliquiae. Quid, quod & Rex ipse, etiamsi reo perquam familiaris ante commissum scelus fuerit, non quis adeo ut ante oculis aspecturus sit hominem, cui perfidiam condonatae vitae gratiam fecit; neque nouis eum euecturus sit honoribus, neque ad secretiora adhibiturus consilia, neque sua cum ipso tam fidenter uti solebat diuisurus sit imperia? Et haec quidem pro humanam prudentiam Reges agunt; & saepe merito & consulto: totaque quam praestant reo gratia, sceleris impunitate & supplicii meriti condonatione circumscribitur. Ad hanc solum extenditur Senatus politici iurisdictione.

9. At vero longe alia est sacri tribunalis auctoritas. Numquam In sacro Tribunali non datur scelerum gratia, quoniam & datur gratia amicitia seu sanctificatio, enim in eo scelerum, quantumuis immanium, impunitatem reus consequitur, quin & in amicitiam cum Deo intimam, tenerrimamque offensi Patris admittatur amplexus: & sic non vitae tantum sed & familiaritatis eximiae, amorisque cujusdam sinceri gratia tribuitur. Non condonantur itaque scelera, nisi & noua peccatori infundatur Gratia; quae quia gratum Deo, dignumque qui à tanto Numine diligatur hominem facit, Gratia dicitur sanctificans: quam tandem pro sacro hoc Tribunali imbutus, in eam subito miserimus peccator assurgit dignitatem, animaeque speciem, ut qui mox fuerat odium Dei, nunc is sit qui à Patre indulgentissimo, tenerrime, & tamen jure optimo diligatur. Ita disertè justificationem omnem institui docet Tridentinum; quam docet, Trid. sess. 6. c. 6. non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae. Quid clarius? Vtramque autem hanc Gratiam in hoc throno exhiberi solitam, expressisse videtur Paulus, cum tam amice inuitat, Ad Hebr. 4. v. 16. ut ad eam thronum gratiae

gratie vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Vt quid enim misericordiam à gratiâ distinguit? An fortè aliud est misericordiam consequi, aliud verò gratiam inuenire? Est prorsus. Neque differentia hæc Benedicto Justiniano displicet. Inuenire enim gratiam, inquit, Hebræâ phrasi, nihil aliud est quàm apud aliquem gratiosum aut esse, aut fieri, & ab eo præcipuâ quâdam beneuolentiâ diligi: misericordia verò, est quâdam mali miseriarumque subleuatio. Vtrumque autem quia in hoc throno profusissimè præstatur, idcirco à peccatoribus, tantis animis aditi eum vult Paulus, vtpotè non tantum impunitatem scelerum, id est misericordiam consecuturis sed & inuenturis gratiam, id est sanctificantem Animæ formam & speciem; quâ fiet vt in intimos offensi Patris deducenda sit complexus, eoque familiaritati intimæ, & amicitix prorsus sinceræ minimeque fucatæ sit adhibenda posthac.

Iustinia-
nus in
hunc locū
Pauli.

Obluiscitur
penitus
iniuria
condonata
Deus.

Etenim, an non istud beneuolentiæ amorisque signum est euidentissimum, quòd cum scelerum facta est gratia, ita penitus ea obliterentur, quasi si eorum memoriam Deus ipse amisisset? En vt id apud Ezechielem de se testetur. *Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est. . . . vitâ viuere, & non morietur.* Ecce scelerum factam gratiam. Eorundem autem extinctam penitus memoriam nunc accipe. Illico enim subiungit: *Omnia iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor; in iustitiâ suâ quam operatus est viuere: & quasi si rationem obliuionis suæ dare vellet Deus, mox subiicit: Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuatur?* Quid ergo? an esset mors impijs, si scelerum recordaretur Deus? esset sanè. Neque verò quisquam mihi negauerit, aulico & nobili viro, Regisque fauoribus assueto, si fortè crimine aliquo justam Principis indignationem incurrerit, à quâ tandem ei facta sit impunitas, vitæque precariò sit concessa; morte ipsâ crudeliorem futuram vitam, si subiratos Principis vultus quotidie cogatur aspicere; si se notari oculis; neque consilijs adhiberi persenserit; factique condonati, videat in offenso quondam Principe adhuc perstare memoriam. Sceleris hæc est perennis exprobratio, omnique supplicio durior, quia numquam finienda. Et hic quidem inter homines vulgaris est mos. Idque exinde video prouenire, quòd cum inter eos sceleris datur gratia,

10.

Ezech. 18,
v. 21.

v. 22.

v. 23.

tia, amicitia tamen gratia non praestatur, nisi admodum superficialiter & suspecta. Procul hoc a Deo, Diuinisque est moribus: ita gratiam peccati concedit peccatori, *ut omnium iniquitatum eius non recordetur.* An ergo memoria excidere? aut Deus cuiusquam potest obliuisci? Minimè verò: physica in Deo non potest dari rerum obliuio, sed moralis. Quae quidem in hoc est posita, uti rectè Theologi id explanant, quòd ita post-hac cum hoc peccatore, quem gratia sua restituit, acturus sit Deus, ac si nullo unquam scelere fuisset implicatus: eaque amoris & beneuolentiae signa praebiturus, ac si numquam amicitiae iura fuissent violata. Sic non recordari dicimur iniuriae, cum eius memoria amoribus pristinis non officit, & officiis amico debitis amicitiaeque consuetis non intercedit. Non recordatur modò scelerum à Petro & Magdalenâ quondam commissorum Deus: non quòd ea nesciat, sed quòd amori, quò eos nunc complectitur, ne minimum quidem faciant vitium, neque minùs caelesti gloriâ recreentur, quàm si numquam Diuinam erga se beneuolentiam, peccando interrupissent.

*Quid sit
scelerum
obliuisci
Deum.*

II.

Hæc cum ita sint, talisque cum sit scelerum impunitas quæ hinc conceditur, ut & amicitiam offensi Numinis inuoluat; neque fieri possit ut scelerum siamus immunes, nisi & ad intimam Dei amicitiam admittamur, supremosque in aulâ caelesti honores consequamur; vnde & id sit consequens, ut memoria etiam ipsa commissorum scelerum obliteranda sit penitus, neque vllâ ex parte vertendum sit vitio, aut ab ipsis Angelis sit exprobrandum id quod amicitiae diuinæ & honoribus caelestibus viderint non obesse; profectò animis assurgite peccatores, agamus rem nostram ubi agenda est. *Aleamus* inquam *imperterritè thronum gratiae ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* In hoc throno iurisdicção est amplissima; gratia praestatur maxima; & qui ei praesident, homines sunt, peccatis obnoxii. Atque adeo sunt iudices admodum humani; ut qui nihil humani à se alienum censeant, quia sentiunt.

*Collectio
argumentorum.*

§. III.

Modus procedendi in hoc tribunali est, non defendere se, sed accusare.

*Diuersitas
styli in hoc
throno ob-
seruandi
exponitur.*

VERUM antequam tam sancta subeamus adita; istud adhuc generatim admonendus es peccator, alium pro hoc tribunali obseruari agendi ordinem; & stylium prorsus diuersum esse ab eo, qui passim in Senatibus politicis vsurpatur. Contentiosum enim non est quod adimus forum: ad gratiæ thronum prosternimur. In illo ut sis innocens, omnibus viribus annitentium est, ut objectum crimen aut neget aut diluas: innocentiam oportet ut comprobes, accusationesque omnes à te ut amoliaris necesse est, ut innocens declareris. At verò in throno gratiæ sic non agitur. Certè non contenditur de innocentia, sed gratia exquiritur; vbi autem sceleris gratia petitur, fatendum est ipsum scelus ingenuè; neque innocentia sententiam feret, nisi te nocentem & quidem tuamet confessione comprobaueris: nullumque Confessionis factæ pretium feret, nisi quæcumque causam tuam aggrauare potuerint, planè & sine fuce deprom-

*Non defen-
ditur hic
crimen, sed
accusatur
ab ipso reo.*

pleris. *Novum profectò iudicij genus* inquit D. Zeno, *in quo reus si excusauerit crimen, damnabitur; absoluitur, si fatetur. O magna potestas, magna peritia, magna pietas Iudicis nostri, à quo vniuersi generis peccatores ut possint beatè viuere, puniri festinant. Quis enim non credat velle puniri reum qui commissa à se crimina Iudici fatetur? Atqui si puniri non vis, tu partes actoris præoccupas, actionem contra te institue, eamque si ritè peregeris, salua est res: tantò promptiùs innocentiam consequeris, quò te euidentiùs nocentem ostenderis; tantò vberior gratia præstabitur, quantò eà te comprobaueris magis indignum, Omnium hæc SS. Patrum concors est sententia. Unum, ne in re vulgatissimâ, si plures asseram sim fastidio, Chrysostomum do hæc luculentius explicantem. *Iustus ut sacræ tradunt paginae, prior accusator est sui. Prior, inquit Sanctus Doctor, hoc est ne expectes arguentem te, ne præstoleris actorem: ipse præueni & rape sermonis principium, ut accusatoris linguam obmutescere facias. In humanis**

12.

D. Zeno
serm. 2. ad
Neophy-
tos.

D. Chry-
sost. ho. 4.
in Gen.

humanis quidem iudiciis, si quis hoc faceret, ut ante accusationem crimina confiteretur, quamuis apud humanissimum iudicem, capitalem sententiam omnino in caput suum accerferet. At misericordis Dei major est ineffabilis bonitas & clementia. Nam si aduersarium nostrum praeuertimus, Diabolum dico qui in die illa ob faciem nostram stabit, & jam in presenti vita, antequam ad tribunal (nempe iustitiae) ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus nostri ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, ut non solum nobis donet liberari à peccatis, sed etiam in iustorum catalogo numerari,

13. En rursus ex Chrystomo misericordiam, & simul amicitiae gratiam conferri solitam in throno gratiae, sed fatentibus sua crimina, non excusantibus aut propugnantibus. Neque verò stylum huius Curiae tam ab aliis diuersum ego miror, cum sit thronus in quo gratia conceditur. Non datur autem gratia nisi quae petitur; nec peti censetur alia, quam illius criminis quod confiteris, & Principi exponis. Non igitur magis mirum est, exponenda & fatenda si dicam esse crimina ut gratiam obtineas, quam si asseram petendam esse gratiam quam fatagis obtinere; cum ipsa criminum confessio, sit desideratae gratiae postulatio, neque gratia umquam praestetur nisi gratiam flagitanti.

Datur ratio cur reo prodendum sit crimen.

§. IV.

Qua corporis & mentis compositione instituenda sit peccatorum Confessio. Calumnus eam dicit esse impossibilem sed ex falsis hypothesis.

14. **H**Ac igitur officij à nobis praestandi memoriâ muniti, edoctique nobis non defensoris, sed actoris potius, aut ut melius dicam, fatentis rei partes incumbere, adeamus tandem ad thronum gratiae, sed eam mentis corporisque compositione, quae ferio pœnitentem deceat. Et quidem si de corporis constitutione quaeritur, quae qualisue sit adhibenda, facilis sanè est responsio. Certè oculi desultorij, elata supercilia, vultus projecti & nescio quam spirantes arrogantiam, pœnitentis non sunt habitus.

Corporis compositio sit humilis, qualis pœnitentem deceat.

tus. Sceleris confictus es & peccator, hostis Dei, supplicii æterni reus: & in ipso iudicii instituendi articulo insolesces? Neque verò attendum est quem apud homines dignitatis locum obtineas, sed quem apud Deum habere te, tu te ipse fatearis. Rex ut sis, aut Princeps, aut reipublicæ moderator; certè non hic aut Regem, aut Principem, aut virum dignitate excellentem acturus es, sed reum & quidem supplicem. Absint igitur nobilitatis auitæ fastus, titulorum cesset memoria, dignitatum subsidat tumor: ad pedes Iudicis accidisti, age itaque quod est supplicis, eaque sit oris totiusque corporis compositio, quæ te reum arguat, verèque pœnitentem. Pectus tundere ne te pudeat: antiquus iste est in Ecclesiâ mos, D. Augustino teste, peccatoris sua scelera detestantis. *Tundere autem pectus, inquit, quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulsu oculum castigare peccatum?* Rursus oculos modestè demissos tantisper contine, dum reus es. Certè eos ad cælum attollere præ verecundiâ non audebat Publicanus, cælosque dum non aspicit, ad sui misericordiam penitus inflexit. Neque si corpori molesta sit tam humilis compositio, quidquam curandum est magnopere. Certè non abs re est, quin & rationi maximè est consonum, carnem & sanguinem, quæ criminum fuere non fomenta tantùm sed & instrumenta, insolentiæ suæ præmium ferre, humilemque vultum corpus gerere, vbi tota sese conquiendæ gratiæ prosternet Anima. Anima se Iudici subiiciet, Domina inquam fiet supplex, & supplicem fieri pudebit ancillam? Hæc igitur sit corporis compositio, quæ pœnitentem deceat: non quidem in suspiria gestusue heteroclytos, & à communi hominum usu abhorrentes contorta; sed grauis, sed modesta, sed verecunda, eaque quæ pœnitentis seriæ præferat argumenta. Mentis verò ea debet esse constitutio, ut istud ratum planèque sibi propositum habeat, totam Conscientiæ suæ rationem Iudici porrigere fide sincerâ & optimâ, nihilque ei subtrahere, quod ad legitimam criminis manifestationem à Christo requiri iudicauerit. Hæc mente si accesseris, euicta causâ est, & plana sunt omnia, imò & si ritè peraguntur, admodum facilia.

*Mentis
compositio
qualis esse
debeat.*

*Hæretici
dicunt Cõ-
fessionem*

Rideo enim ego hæreticorum insanas voces, quibus Pœnitentiæ Sacramentum, in quo scelerum faciendâ est aperta declaratio, in inuidiam vocare conantur: & ut perfidiæ suæ adulentur, vitiisque,

D. Aug.
serm 8. de
Verb.
Dom.

Luc. 18.
v. 13.

15.

vitiisque, quibus immerſi ſunt, palpum faciant, throno gratiæ faciunt conuitium. Carnificinam dicunt eſſe animæ, ea exigiquæ præſtari non poſſunt. Etenim cauſſantur omnia prorfus enarranda eſſe peccata: quis autem inquit ea ingenio aut memoriâ humanâ poſſit complecti, quæ ad ſingula momenta committimus; & quæ indies ita agglomerantur & excrescunt, vt tandem euoluto necdum anno, ſcientiam omnem & memoriam humanam longè exſuperent? Quis itaque ea enumeret, quæ multitudine penè ſunt infinita? Et vt exponere ea quis velit ferri, quod tamen ei tempus, enarrandæ tam prolixæ anni elapſi hiſtoriæ, ſufficiet? Deinde quàm id pudendum eſt, & honeſtis auribus execrabile, occulta quæque prodere, eaque apud hominem proferre, quæ reuelare prohibet ingenitus homini pudor? Audio quidem iſta hæreticæ contumaciæ obuclamenta: quæ fanè eò prorumpit audaciæ, vt aut Chriſto, de Sacramento malè & præter rationem inſtituto, litem moueat & diem dicat; aut certè inſtitutum à Chriſto neget. Nolo huic argumento diutius immorari, neque Sacramenti veritatem, quam tota amplectitur Eccleſia, rationibus propugnare: hoc nunc inſtituti mei non eſt. Iſtud, quod ad rem meam facit, Tridentini eſtatum veneror, quo liquidò inſolentiam hominum, ſacra omnia

reſſe carnificinam & impoſſibilem. Et quare.

Impia in Chriſtum ſunt hæc dictoria.

Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

pro libitu arrorentium, condemnât. Ita ait. *Sed & impium eſt Confessionem, quæ hæc ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam Conſcientiarum appellare. Conſtat enim nihil aliud in Eccleſiâ à pœnitentibus exigere, quàm vt poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & Conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiffe meminert. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum, eâdem Confessione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Prophetâ dicimus, ab occultis meis munda me Domine.*

Condemnantur à Tridentino

16.

Videamus porrò quam bonâ fide heterodoxi garriant, impoſſibilem cum dicunt Confessionem ex hoc imprimis capite, quòd dari non poſſit peccatorum omnium diſtincta recordatio: ita enim cauſatur Caluinus. *Hic cogitent lectores, inquit, quam poſſibile ſit ad rationem vocare totius anni acta, & quid ſingulis diebus peccarint, colligere: quando experientia vnumquemque conuincit, ubi recordari ad veſperam excutienda ſunt vnus tantum dici delicta, memoriam*

Offenditur ſalutem eſſe tot eſſe hominum peccata, vt eorum impoſſibile ſit recordari.

con-

confundi: tanta se turba & varietas ingerit. Hinc eadem impudentiâ concludit; Dicam in summâ qualis lex illa fuerit, confitendi nempe peccata omnia: *Primum simpliciter est impossibilis. Itaque non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem conijcere potest.* Ita ille. Quid facies homini perditio, & in omnem audaciam projectissimo? errorem ex errore trahit, & tenebris quas sibi miser facit, miserè obuoluitur. Quid enim? nec vnus quidem diei peccata, humanâ memoriâ vult posse comprehendere; & quidem, vt sibi fidem faciat, experientiam vnus cuiusque conuenit, & fidem obtestatur. Credo ego hominem suo pede metiri velle vniuersos. Atqui fidenter asseuerant quotquot sobriè sapiunt, homines esse infinitos planè, eâ sanctitate conspicuos, qui non dies tantùm, sed annos integros traducunt tam innocuos, vt ne vno quidem peccato se contaminent, quod necessaria Confessionis sit materia. Testantur hoc homines grauissimi, sæculis terrarumque spatijs maximè distincti: testatur id proborum, ad quam insulsè Calvinus appellat experientia, quæ ipsum pleno ore, fronteque non perfrictâ, sed innocenter explicatâ, mendacij arguit & conuincit: testatur id denique Ecclesia vniuersa. Et sibi fidem præstari vult vir vnus, contra torrentem proborum omnium toto obnixus mentis impetu, tantùm ne non insigniter sit peruicax, & Ecclesiæ orthodoxæ rebellis?

Error hic ex eo pro- uenit, quod falsò statuatur Caluini nulla dari peccata venialia.

Secundò quod vult omnes tentationes, & motus primò primos esse peccata.

Scio ego vnde ei tanta oborta sit insolentia. Errorem vt dixi ex errore elicuit. Infinita dicit esse peccata Confessionis subiicienda quæ sint; quia nihil quidquam Caluino peccatum non est, & quidem mortale; cuius si merita expendantur non nisi inferni ignibus expiandum quod sit. Audi hæresiarcham. *Primum l. 2. Instit. c. 9. de peccatis statuit. Habeant filij Dei, omne peccatum mortale esse; quia est aduersus Dei legem rebellio, quæ ejus iram necessariò prouocat; quia est legis præuicatio, in quâ edictum est sine exceptione iudicium. Sanctorum delicta venialia esse, non ex suapte naturâ, sed quia ex Dei misericordiâ veniam consequuntur.* Ita ille. Itaque eam si non consequuntur, æternis ignibus ob mendacium etiam minimum sunt condemnandi. Ita est inquit Calvinus. Jam verò si quid peccatum sit queris, docet secundò, non peccari tantùm liberi arbitrij consensu & in peccatum prolapsu, sed ipsis primò primis peccati motibus, id est, tentationibus, & titillationibus, quas persentiscere tantummodò, etiam si fortiter iis resistas,

Ibid. u. 18.

17.

Caluin. l. 2
Instit. c. 9.
n. 59.

Caluin.
Instit. l. 2.
c. 3 n. 10.

sistas, peccare est. Ita habet Instit. l. 2. c. 3. n. 10. Fatetur quidem D. Augustinum alia sentire omnia, suam tamen sententiam Augustino disertè vult anteponi. En verba, *Augustinus*, inquit, *tum demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit; hoc est quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem.* Assurgite hic quotquot estis toto orbe Christiani; & oraculum, pro quo Augustini sententia nugæ sunt, ex ore Caluini excipite. *Nos autem*, inquit, *illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur. Imo ipsam prauitatem que ejusmodi cupiditates nobis generat (id est, concupiscentiam atque animi affectiones) asserimus esse peccatum. Docemus itaque in Sanctis, donec mortali corpore exunantur, semper esse peccatum; quia in illorum carne residet illa concupiscendi prauitas, que cum rellitudine pugnat.* Quis ad hæc non exhorreicat? itaque appetitiones omnes peccata sunt, & quidem mortalia: minimam sentire carnis petulantiam, aut in praua declinantem appetitum, etiamsi validissimè te opponas, mortale est: & Diuus ipse Paulus, cum ei datus est stimulus carnis, peccato lethali inuolutus est; falsumque fuit Dei oraculum, cum ad eos euadendos ter Dominum rogauit, eique responsum est, *sufficit tibi gratia mea.* Non enim suffecit gratia, vt ne Paulus stimulos carnis persentisceret: non suffecit igitur, vt ne mortaliter peccaret, cum stimulis ejusmodi titillari tantum, ne dicam *colaphizari*, id est, vrgeri & perurgeri, mortale admodum sit scelus. Verum refellendis his ineptiis non immoremur, huc enim non tendit instituta oratio: aliud habeo præ manibus. Inquiro enim multitudinem illam peccatorum infinitam, quâ optimum quemque Caluinus vult inuolui, etiam quotidie. Atque vt hanc plenè conficiat, eò tandem venit dementiæ, vt omnia omnino etiam proborum hominum opera, statuatur esse mortalia. Ita disertè l.

Refutatur
breuiter
hic error.

Caluinus
statuit omnia proborum hominum opera esse peccata.

Calu. Inst.
l. 3. c. 14.
n. 9.
n. 10.

18. Hoc nunc ago. Quis, inquam, miretur modò, Caluinum Confessio-

P p p

Ex his satis hypothesibus Confessio omnium peccatorum impossibilis

Confessionem impossibilem esse adstruere, infinita quòd sit scelerum multitudo, quæ pœnitentis memoriam longè excedat? At infinitudinem illam quis inuexit, nisi mera fingendi libido? Profectò si verum est; omnes omnino concupiscentiæ titillationes & impetigines peccata esse, & quidem mortalia; rursus omnia omnino proborum opera, hoc est actiones etiam naturales, affectiones, desideria, cogitationes denique omnes, scelera esse & rursus mortalia, cum naturâ suâ non dentur venialia; fateor Confessionem institui non posse quæ peccata omnia complectatur. At quis orthodoxus docuit hæc omnia passim esse scelera? & quis omnia sic docuit explicanda, vt ne vnum quidem integritati Confessionis materiali detrahatur? Hæreticorum commenta hæc sunt, errorem alterum ex altero trahentium vt sic catenam conficiant quâ sese irretiant, & ignorantium mentes sibi deuinciant. Falsa affingunt saluberrimo Sacramento, vt in inuidiam trahant à Christo instituta peccatorum remedia, ab iisque peccatores deterreant, dum persuadent esse adynata. Ablegatis itaque ad Geneuæ stagna & paludes hisce figmentis, quid ab Ecclesiâ ad instituendam legitimè Confessionem requiratur, videamus porrò: istud illicò perspecturi, quàm facilis, & humanæ infirmitati quàm accommoda sit hæc medicina, quam sola aut animi peruersitas, aut certè ignorantia facit esse difficilem.

§. V.

Exponitur quid ad substantiam bonæ Confessionis requiratur. eamque impossibilem non esse, eâdem operâ contra hæreticos demonstratur.

Omnia mortalia peccata in Confessione aperienda esse probatur primò.

Secundò.

Atque istud imprimis statuendum est, omnium prorsus quorum sibi mens est conscia, peccatorum mortalium faciendam esse integram in hoc tribunali Confessionem, neque quidquam prudenter reticere posse. *Primò* quidem, quia thronus gratiæ est, vt dixisse me memini: gratia autem aut impunitas scelerum non datur, nisi quæ peritur: non petitur verò gratia crimini, quod à reo non exponitur. *Secundò*, quia tota tribunalis hujus jurisdictio, hominibus tamquam Christi Vicariis demandata cum sit, manifestum est id illis incumbere, vt non pro suo libitu, sed

19.

Hic. 1.

sed pro rei grauitate & iustitiâ, gratiam reo impertiant. Ac pro-
 Trid. sess. 14. c. 5. inde statuit Tridentinum, necessario omnia ad eos mortalia cri-
 mina esse deferenda. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ
 causâ exercere non potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius
 in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent, vnde legitime
 constare possit, cuius rei, reo facta sit gratia, & quantum à Deo
 Hic n. 9. beneficium acceperit. Tertio, cum, vt paullo antè dixi, numquam
 vlli peccato fiat gratia impunitatis, quin & gratia sanctificans, &
 perfecta, non reconciliatio tantum, sed & amicitia cum Deo
 ineatur; euidens nunc est, omnia omnino peccatori condonanda
 esse scelera, vnum dum remittitur: ne vno eodemque tempore
 amicus sit atque hostis Dei. Omnia itaque remitti cum debeant
 scelera, vt condonentur singula; non condonentur autem
 quæ non exponuntur, euidens fit exponenda omnia. Quarto
 Trid. ibi. denique, cum non judicialis tantum, sed & medicinalis sit tota
 hæc actio, liquidò rursus constat, omnia penitus animæ vul-
 nera, morbos atque vlcera apertè esse detegenda. Qui verd
 secus faxint, inquit Tridentinum, & scienter aliqua retinent,
 nihil diuinæ bonitati remittendum proponunt, quantumuis reli-
 qua proponant omnia. Si enim erubescat egrotus vulnus medi-
 co detegere, quod ignorat, medicina non curat. Neque etiam
 censendus est animæ suæ sanitatem, & vitam multum ex-
 optare, qui non vult integram. Omnia itaque, & quidem
 occultissima vulnera detegenda sunt, vt sincera fiat animæ me-
 dicina.

20. Verum, quamuis accuratissimam scelerum Confessionem
 requirat institutus à Christo thronus gratiæ, non tamen mul-
 titudinem criminum reus exhorreat, neque sibi persuadeat
 eâ obruendum se. Multò autem minùs impossibilem dicat
 Decretum Concilij Tridentini Confessionis speculans.
 eiusmodi Confessionem, aut carnificinam appellet, inquit
 Trid. ibi. Concilium: Constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à penitentibus
 exigi, quàm vt postquam diligentius se excusserit, & Conscien-
 tiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata con-
 fiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offen-
 disse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non
 occurrunt, in vniuersum, eadem Confessione inclusa esse intelligantur.
 En legis, quam atrocem & crudelem vociferantur hæretici, diui-
 num, humanæque imbecillitati accommodum temperamentum.

cui nihil admodum est quòd se humana ratio proteruè opponat, aut peccatorum exponendorum multitudine obruendum sese pœnitens ex vano suspicetur.

Venialia non sunt necessaria materia Confessionis. Exinde enim constat, nulla peccata venialia, necessariam esse Sacramenti hujus materiam. Quòd etiam diserte Concilium hęc verba docet. *Nam venialia quibus à gratiâ Dei non excludimur* (en apertam Calviniani dogmatis condemnationem) *in que frequentius labimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem presumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Ex quibus istud nunc patet, non admodum sollicite in venialia peccata inquirendum esse, neque anxie, ne elabantur, infigenda memoriæ. Nam si ea non tenemur lege vllâ in Confessione exponere, nulla etiam incumbit ea inuestigandi necessitas. *Deinde* quamvis piè de iis se accuset reus, non tamen multum infumat operâ, vt exponat omnia: nam præterquam quòd id fieri omnino non possit, nihil tamen de Confessionis sinceritate discedet, si non confiteatur singula. *Tertiò,* denique si dum in venialia inquit, animum sibi perturbari perſentiscit, aut sollicitudine nimia peruestigandi singula, aut anxietate iudicij ferendi, aut aliâ quâcumque capitatis defatigatione fatiscere, tum sanè utilissimum est curam hanc deponere, examen abrumpere, eaque patefacere tantummodò, quæ citra omnem molestiam memoriæ occurrerint. Sic rectè stabit Confessione debitus valor, & fructus exoptatus Sacramento.

Quomodo examinanda sint venialia in ordine ad Confessionem.

Non examinanda venialia, si animus iis perturbetur, aut defatigetur caput.

Qui conscientiam habent conscientiam, facile mortalium scelerum recordantur.

De mortalibus autem peccatis si agamus, tum verò peto ego, an homines frugi, pietatisque utcumque amantes (his enim præcipuè hæc scribimus) tam frequentia passim committant scelera, vt eorum numero, ea dum indagant, obruantur? Certè hæc nemo mihi, nisi insanire libeat, vumquam persuaserit: nimis alta, tanti ponderis res, in tam teneris mentibus infigit vestigia, quàm vt tam facile queant obliuione obliterari. Ostendent ea se, etiam inuitis, factumque dissimulantibus. Iis igitur non erit admodum difficile omnia, quibus mortaliter Deum offenderint, explicare. Nimis fidelem habent Conscientiam, quàm vt sibi quidquam per incuriam, in tanti momenti re patiantur elabi. Non igitur hæc in parte sint anxij; aperiet se aut suâ sponte, aut minimo

21.

Trid. ibid.

22.

minimo apposito studio, quod latet vlcus, vbi tanta est aper-
riendi lubentia.

23. Quod si tamen quis in omnia projectus scelera vitam egerit, omnique salutis abjectâ curâ, per multos jam annos vitis infe-
nerit, & nullâ aut recti, aut pudoris, aut Dei reuerentiâ in om-
ne per summam impudentiam sese neas dederit; fateor huic
homini tam projecto & perduto, difficile fore admodum singu-
lorum meminisse, quorum tanta est copia, & quæ, quia sic quasi
per contemptum sunt patrata, nullam omnino aut certe valde
tenuem sui memoriam reliquere. Ne tamen de integritate Con-
fessionis desperet, si bonâ fide agat, omniaque, prout potest
explicare statuerit: nam si Confessionem materialiter integram
instituire non potest, potest tamen formaliter absolutam. Hoc
est, quamuis ob ingentem peccatorum longo vsu & tempore ag-
gestorum multitudinem, fieri fortasse non possit, vt omnem sce-
lerum materiam exhauriat, sic vt nullum prorsus sit quod non
explicet; potest tamen ea patefacere, quæ in præsentiarum, dum
sicer gratiæ adeundus est thronus, post diligentem excussionem
memoriæ occurrerint. Atqui nihil vltius requiri disertè docet
Tridentinum, vti jam vidimus n. 20. Quid ergo cauillos hîc
quærent hæretici; quid nobis impossibilem legem obrudi puti-
de criminantur? An quisquam sanæ mentis dixerit, ea expone-
re verbis me non posse, quæ reipsâ occurrunt memoriæ? quid
igitur garrunt, quid inuidiam Sacramento creant meris falsimo-
niis?

*Qui diu
peccatis af-
fuevit, con-
fiteatur ea
quorum
suum recor-
datur.*

24. Adde, quòd, vti rursus clarè tradit Concilium, *reliqua pecca-*
ta quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum, eadem con-
fessione inclusa esse intelligantur; ac proinde cum iis quæ rite sunt
exposita, etiam virtute clauium condonata. An benignior reo
potuit offerri conditio? Atqui exinde consequitur, Confessione
rite peractâ, nullum prorsus pœnitenti, in præteritam vitam in-
quirendi vltius onus incumbere. Non enim aut quæstor vllus,
aut etiam debitor, postquam aut ille Reipublicæ & Principi, aut
hic creditori rationes accepti & expensi æris exposuit fide sin-
cerâ & optimâ, eaque à Principe aut creditore subscriptæ fue-
rint, sic vt exinde constet datis rationibus eos penitus acquieuis-
se; non inquam vlla iis superest obligatio, rem omnem ordiri
ab ovo, syngraphas rursus discutere, singula debita ad calculos
reuocare.

*Et reliqua
quæ bonâ
fide omisi
peccata, et-
iam con-
donantur.*

*Neque am-
plius ea
sunt inus-
sitanda.
Exponitur
simili.*

reuocare. Intolerabile id esset profectò onus, neque humano commercio vllatenus accommodum. Deponat sanè curam inutilem, & quæ non exigitur; sufficit quæ data est ratio & transacta legitime; neque enim aliam, quàm quæ adhibita est, diligentiam requirit Princeps, aut ratione bonâ potest exigere. Si quid interim imprudenter erratum est, condonatur vtrimque. Et hæc quidem transactionis natura est; hoc certè est rationes concludere iisque finem facere, ne numquam rerum agendarum finis sit. An igitur accepti expensique commentaria numquam tenetur posthac inspicere, vt errorem fortè commissum inuestiget? Minimè gentium. Occludat ea sanè, occlusisque placidè indormiat. Quòd si tamen sine vllò studio rem indaganti, syngrapha aliqua debitumue occurrerit in rationes datas deductum quod non sit, vnde tamen in ære Principis sese adhuc esse certò liquidòque cognouerit, sanè eam in rationes primo tempore dandas, coniiciat; neque, cùm fide bonâ rem agi perspexerit, Princeps aut creditor humanus errori commissio quidquam succensabit. Ita age peccator, & pacata sunt omnia. Si quidquam à te scelerum bonâ fide omissum fuit, eadem quam sincerâ mente instituisti Confessione inclusum & condonatum esse intellige. Humanissimum habemus & Principem & creditorem. Nil ultra exigit, neque nouum à te peccatorum examen vult institui, ne durissimum tibi iugum incutiat, qui non nisi suaue admodum sese hominum ceruicibus imposuisse gloriatur. Igitur præteritis eruderandis, & ad nouum calculum reuocandis prorsus abstine: modò eâ sis mente, vt si casu aliquo, nulloque adhibito studio quidquam in mentem venerit, quod certò & non dubiè à te commissum sit nec tamen expositum, proximâ istud Confessione sis aperturus. Viue interim securus bene peractâ re; & cùm indirectè condonatum id jam sit, non est quod illico rursus ad Confessionis tribunal præter consuetum ordinem accurras: sufficiet peccatum istud confiteri, tùm cùm aliorum scelerum, aut voluntaria, aut præcepta fiet Confessio. Quid hîc rursus est impossibile? imò quid ex diuerso non est omnino placidum, & rationi humanisque moribus prorsus consentaneum? poteratne benignior exigi scelerum Confessio?

*Sed si forte
occurrerit,
non statim
sese proxima
confessione
exponenda.*

*Diligentia
moralis ad*

Neque quisquam hîc mihi importunus oggerat, diligentem quam Tridentinum exigit criminum discussionem & examen, carnificinam

carnificinam esse; diligentiam hanc esse prorsus intolerabilem, utpote de qua præstita, nemo sibi possit fidem facere, reique bene transactæ præstare fiduciam: hæc enim à me Tract. 11. §. 2. & §. 6. regulâ 1. & 2. complanata sunt: ostensumque moralem, id est humanis moribus *usitatam* & *accommodam* inquisitionem requiri tantummodo. Eam autem *usitatam* dicimus, quam viri prudentes, in aliis rebus alicuius momenti indagandis, solent impendere: humanis autem moribus *accommodam* appellamus, quæ sine ingenti capitis perturbatione, atque animæ totius delatigatione, placidè fit & tranquillè: denique si ea sit, cui meritò prudens debeat acquiescere. Cardinalis Lugo eam solummodo docet adhibendam esse discussioni diligentiam, quæ Pœnitentiæ Sacramentum in invidiam non trahat, illudque Pœnitenti serio agenti non reddat odiosum. Moralis hic inquirendi modus in quo consistat, rectè id exponit Melchior Canus. *Verbi gratia, inquit, si ego adhibui aliquam diligentiam, & per parvam ulteriorem probabiliter existimo aliqua mortalia fore in memoriam reuocanda, teneor ulterius inquirere. Quòd si putem nullum aliud peccatum venturum in mentem, nisi forte ingenti quadam discussione, & magni temporis inquisitione, non oportet esse sollicitum: satis nempe est illa mediocris, & humana diligentia.* Ita ille. Vnde istud rectè arguas, multò minus de diligentiam adhibita debere esse sollicitum eum, qui postquam animæ sinus omnes est rimatus, ita secum statuit, nihil admodum ei venturum in mentem, quantumcumque tum de rebus à se peractis cogitet. Quæso an isthæc diligentia humanas vires superat, aut pœnitentis carnificina vlllo jure est appellanda?

examen peccatorum sufficit.

Qua diligentia dicatur modis aliis.

Lugo. de Pœnit. disp. 16. sect. 14.

Canus Relectio- ne de pœnit. parte 6.

26.

Quòd si verò, carnificinæ huic stabiliendæ afferas incertitudinem quæ sæpe distinctur animus, dum firmum fixumque de rebus à se peractis judicium nequit ferre, & sic dubitationibus miserè intricatur; huic sanè incommodo jam à nobis obuiamatum est satis. Juuerit tamen dicta compendio repetere, & Confessione faciendæ applicare.

1.

Atque imprimis istud statuimus, inter id quod Probabile est & Dubium, magnum omnino esse, quin & immane discrimen: quod quidem Tract. 6. num. 2. & seq. rursus Tract. 11. num. 51. luculentè satis explicuimus. Unde istud planum fecimus ibidem num. 52. eum qui probabili ratione potest decernere, sese

Qui probabiliter statuit se non peccasse, non potest ea confiteri.

Hic Trac. 6. n. 2. & seq. Trac. 11. n. 51.

aut.

aut non egisse id quod peccatum sit; aut in eo quod egit, non peccasse; aut si certus de actione & scelere fuerit, tamen probabiliter ratione statuit, crimen aliquando se fuisse confessum; hæc inquam si potest eo modo decernere, etiam debere se ab omni crimine innocentem declarare. Fusè id ostensum est superius. Unde id consequitur neque debere neque posse, in Exomologesi, sese criminis nocentem acculare.

Quod si verò nullum, ne probabile quidem, pro parte alterutra iudicium ferre possit, sed dubia utrimque mens hæerit, tum rursus discriminanda est dubitatio. Nam aut certus esse potes de perpetrato à te scelere, dubius verò an id aliquando in Confessione exposueris; aut sanè de ipso crimine potest esse dubitatio, an id verè commissum sit.

Certus de peccato, dubius an confessus sit, tenetur illi confiteri.

Et si de scelere quidem constet, dubitas autem an Exomologesi facta fuerit expiatum, tum sanè diximus Tract. 6. num. 38. Confessionem sine vlllo dubio instituendam. Certum enim cum sit debitum, satis constat illi dubiâ solutione minimè satisfieri.

Dubius an fecerit id cui cerò annexum est peccatum, debet deponere dubium, & statuere non fecisse.

Si autem de peccato ipso dubitatur, id quidem iterum distinguendum est. Nam aut dubium incidit, an actio illa à te fuerit aliquando exercita, cui, si sit præstita, dubium non est annexum esse peccatum; v. g. perjurium; quod quidem constat si ne scelere numquam præstari; dubitas autem an id præstiteris. Et tunc quidem dictum est ibidem num. 53. & seq. non tantùm posse, sed & debere Conscientiam, criminis se absolueri. Unde istud sequitur ne quidem posse dubitantem, se de sic dubio scelere accusare, cum ostensum sit debere sese absolueri, & pro innocentia suâ dicere sententiam. Ad hoc ergo conitti debet, & dubitationem animo eximat.

Qui solet tentationibus resistere si dubitat an certa cuiusdam non consenserit non potest illud confiteri.

Sin verò constat sese actionem aliquam exhibuisse, quæ & sine scelere & cum scelere potest committi, dubitat autem animus an scelere sese implicuerit, tum tandem ad præsumptionis regulam recurrentum esse statuimus ibidem num. 51. & seq. & si quidem is sis, qui peccata actionibus eiuscemodi intercurrentia solitus es euitare, liquidò statue sine dubio non peccasse te. Hinc qui solitus impudicitiam omnem exhorrescere, eiusque primis instigationibus validè resistere, dubitat an cuidam obortæ impetigini consenserit, statuatur certò, consensum omnem fuisse denegatum; præsumptio enim habetur ex consuetis, & sese à Confessionis

2.

3.

Hic Tract. 6. n. 38.

4.

Ibid. n. 53. & seq.

5.

Ibid. n. 51. & seq.

feffionis onere liquidò absoluat.

6. Ex aduerso autem, si quis facillè sese abripi, & passim videat sceleribus implicari; neque adeo peccandi pericula solitus sit euitare, vt ea quinimo studiosè quærere communis ei sit mos, tum sanè statuat se peccasse actione eâ de quâ dubitat, actumque confiteatur.

Qui solet tentationibus consentire, & dubitat an confesserit, statuat se confesisse, & confiteatur.

7. Tandem, quòd si præ mentis imbecillitate & iudicij impotentia, ex regulis jam traditis dubitationem animus non potest deponere, tum certè dubia peccata iudicarem esse aperienda vt dubia; non aliâ inductus ratione, quàm quòd ita terat communis praxis & piorum hominum consuetudo. Atque hæc quidem de dubiis.

Qui dubit non potest deponere confiteatur dubium.

27. Certa verò & in comperto cum sunt scelera, tum quidem sic statuit Tridentinum, non in genere dumtaxat, sed in specie ac sigillatim peccata declaranda. Sed neque hic quidquam est molestiæ, quæ facillè superari non possit. Nam quamuis subtilior videatur peccatorum ea distinctio, quâ singula ad suas species reuocantur, quàm vt ea ab ignaris hominibus in sua membra metaphysicè possit dispesci; istud satis constat, tam exactam specierum omnium scientiam pro exomologesi ritè instituendâ minimè requiri; vulgarem sufficere notamq; passim omnibus criminum differentiam. Qualis ea sit, & vnde desumenda, exactè à P. Francisco Suarez exponitur. Rursus, inquit, non obstat difficultas quæ esse solet in discernendis speciebus mortalibus: nam etiam sufficit quòd regulariter notæ sint, saltem vulgari quodam modo per diuersitatem præceptorum, & rerum seu materialium circa quas peccatur, vel etiam virtutum quibus peccata opponuntur. Et deinde Confessoris scientia & diligentia debet in hoc supplere ignorantiam pœnitentis. Ac denique si factâ morali diligentia, aliquid ignoratum fuerit, & eâ ratione prætermissum, illud non obstabit valori Confessionis & Sacramenti. En totam quæ hâc in parte occurrere poterat difficultatem, à summo Theologo clarè deterfam.

Qualis scientia requiritur, vt peccata in suas species distinguantur.

Suar. in 3. Part. 10. 3. Disp. 22. sect. 2. a. tert. 1.

28. Minorem habet peccatorum numerus sigillatim explicandus. Nam si in comperto sit pœnitenti quoties peccarit, facile est numerum exponere. Si verò id tam exactè non recordetur, sufficit vt eum dicat numerum, qui ad verum proximè accedat, dicatque v. g. vigesies plus minùsue facto per meram ignauiam non interfui. Neque si deinde certò compererit vigesies bis aut

Quomodo peccatorum numerus sit exponendum.

ter peccasse se, quidquam necesse est, vt certum hunc numerum, quem vt incertum antea fuerat confessus, rursus proximam exomologesi fateatur, cum sufficienter Confessione primam fuerit expositus. Ita visum est grauissimis Theologis. Denique si tanta sit scelerum in eadem specie multitudo, vt ne dubio quidem modo ea possit enumerare; tum sane tempus quo sic sceleribus operam dedit, eorumque numerum per dies, septimanas, aut menses exerceri solitum, confuso saltem modo fateatur. Sic nempè prostibulum, si alias impudicitiarum numerum inire nequiverit, satisfaciet, si dicat per quinque v. g. annos omnibus omnium ordinum hominibus fuisse expositum, animumque habuisse peccandi cum omnibus passim occurrentibus, eosque per septimanas singulas, haud multo secus fuisse v. g. decem aut duodecim. Nam vt rectè Cano, *ex eo tantam accipit Confessor notitiam, quantam opus est ad quemcumque finem Confessionis consequendum; imò quantam potest penitens dare, etiamsi exprimat sexies millies peccasse. Non ergo debet Confessor vexare penitentem punctim interrogando de numero, per anxiam & puerilem superstitionem, faciens eos vel mentiri, vel certè falsum dicere.* Ita ille. Diutius hisce, vtpote passim notis, non immoror. Sufficit mihi singula quæ in Confessione occurrere possent molesta delibanti, demonstrasse, ex vano esse difficultates illas quas heterodoxi sibi fingunt, eas Confessionem vt affingant; nullamque carnificinam pro sacro hoc tribunali exerceri, nisi pro male sentientium ingenio. Nouimus eorum artes & fallacias: jugum calumniantur esse intolerabile, vt istud tantò liberius & peruicacius excutiant. Atque hæc sunt quæ Confessionis substantiam spectant, quæque ab Ecclesiâ requiruntur.

Cano.
Relec. de
Pœnit.
par. 6.

§. VI.

Explicantur errores aliqui qui in modo confitendi penitentium vitio aut ignorantia intercurrunt, confessionemque faciunt difficilem.

29. **A**liæ nonnumquam obuoluuntur penitentibus, in singulari criminum enarratione molestiæ, quæ non quidem ex Sacramenti

*Errores
quidam
Confite-
ntium.*

menti institutione, sed ex hominum ignorantia enascuntur. Opera pretium erit rem exponere. Plurimi enim nesciunt quis stylus, aut quis dicendi tenor in his subsellijs obseruandus sit. Alij enim dum accusare se volunt criminis, omnia exaggerant; alij dum suam rem agere sese credunt, extenuant omnia; alij vt clarè causam crimenque exponant, infinitis circumstantiis, & narrationibus parergis, ad rem quæ faciunt nihil inuoluunt & se & crimina: alij denique alijs se vexant modis, nec satis sciunt in quam sese vertant partem, vt officio suo legitime defungantur.

Vnde hi nascantur.

30. Paucis rem omnem absoluero, si istud in mentem reuocauero, thronum gratiæ esse quem adiuiuis, neque pro foro contentioso stare nos, in quo causa vtriusque discutienda sit, & pro rationibus hinc atque hinc allegatis expendenda. Minimè gentium; non is seruandus est agendi tenor, vbi nuda & aperta solum requiritur Confessio, neque alia, quàm, quæ quid factum sit, Judici constet simpliciter & sine fucò. Hoc rectè si perceperis, plana sunt deinceps omnia.

31. Ac primò quidem, errare mihi magnopere videntur ij qui vt pœnitentiam animi verbis exprimant, criminis sui indignitatem multis describere allaborant: quin & in immensum augment rei fœditatem, neque alias sese pœnitentis officio rectè defunctos existimant. Erras vir minimè male. Non Rhetorem acturus huc accessisti, aut eloquentiæ daturus specimen. Neque si accusanda sint scelera, id ita credas intelligi, quasi si actoris partes agenda sint tibi, cuius sit fœditatem criminis Judici exponere. Hæc omnia pro tribunali Conscientiæ peracta jam sunt; isthic exhibetur facti peruerfitas, isthic exaggeratur rei indignitas, isthic peccator criminis conuincitur. At postquam in Domestico Conscientiæ tribunali ritè transacta hæc sunt, in throno gratiæ tota criminis accusatio, est nuda facti enarratio. Cessent itaque exclamationes, cessent hyperbolæ, cessent declamatorum figuræ, & Oratorum exaggerationes acerbæ. Legantur tabulæ prout sunt, merum recitorem age tu: discernet Judex quid sit dere; quantum sit scelus, ipsius est statuere, tuum tantummodo est rem confiteri. Ne igitur tibi molestus sis, dum videri vis nequidquam eloquens. Neque Conscientiæ sese exonerantis has voces crede, sed vt Tract. 11, num. 42. dicebam *Abyssus*, id est

Pœnitens nõ agat Rhetorem, nec crimina sua exaggeret.



Conscientia dedit vocem suam, ab altitudine phantasiæ suæ, non verò ex rei peractæ veritate.

Non negat
etiam
Causfidium,
nec
peccata
excuset.

Alter ex aduerso est error, & præ jam dicto cauendus haud paullo magis: nam si exaggeranda non sint crimina, multo minus sunt excusanda. Sic sanè sunt nonnulli, qui dum fatentur scelus, istud magno studio conantur extenuare verbis. Et quidem modò adolescentiæ efferuescentis impetiginem, modò allicientium & ad facinus instigantium illecebras, modò naturæ corruptæ infirmitatem, modò injuriarum quibus abrepti sunt atrocitatem, modò necessitatem rei domesticæ, modò nescio quæ afferunt quibus aut impudicitia, aut iræ, aut gulæ, aut iniustitiæ aliquid præstent patrocinium, labore magno, fructu profus nullo. Nam non causfidici, non patroni partes exiguntur à te; neque si pro te aut domo tuâ peroraueris, quidquam egeris ad rem tuam quod sit. Parce itaque labori superuacaneo: neque causas crimini commisso prætende, sed factum expone, quòd cum difficillimum sit defendere, imò ne defendi quidem possit, facillimum est simpliciter confiteri.

32.

Non alias
accuset, sed
se.

Quid, quòd non paucos inuenias, qui dum quòd peccatum est à se magnâ animi submissione deberent exponere, in alienos humeros sarcinam coniiciunt, quam à suis conantur amoliri? Irâ abreptos totâ sese fatentur tumultuatos domo, totam clamoribus exagitasse familiam, quin & viciniam perturbasse; at intolerabiles vxoris mores, aut prolis petulantiam, aut vicini ineptias turbarum omnium esse femina; & ne Angelum quidem eiusmodi ingeniis sine fastidio posse conuiuere, adeò esse rancida, adeò turbulenta. Audio quidem ista, sed in quam rem dicuntur? an enim aliena confessurus accessisti mala, an verò tua? Alius quid peccauerit, dicet alius: neque maritus vxoris confessionem instituat, nec mariti vxor, nec prolis pater, nec ancilla heræ, nec hera ancillæ. *Vnusquisque onus suum portabit* ait Paulus, ac proinde *Opus suum probet unusquisque*, & quòd probare non potest, fateatur; de alienis autem malis nulla tibi modò sit curatio; agent ipsi dum videbitur res suas, tu tuam age: non enim alienis criminibus gratiam postulas, sed tuis: quid ergo alienis exponendis nequidquam intricaris? Certè nulla ab vxore si maritus es, nec à marito si vxor es, gratiæ sibi obtinendæ mandata accepisti; neque si illi gratiam expetieris, quidquam bonæ gratiæ retuleris.

33.

ad Gal. 6.
v. 4. 5.

D. Chryf.
ho. 43. in
Matth.

retuleris. Vt quid igitur enarrandis eorum criminibus tantopere allaboras? Itaque vt rectè D. Chryostomus, *accusa tua vestigia non aliena*, dum tibi gratiam dari postulas, & dum alienæ causæ non potes suffragari, quantumcumque aliena scelera exposueris.

34.

Tertiò denique, istud etiam memineris, Historicum hîc non agere te, sed merum criminis commissi recitatorem. Incredible est enim quàm fastidiosum sit hominùm genus quoddam, qui cùm verbis paucissimis possunt rem omnem absoluere, v. g. conuitium se fecisse, aut injuriam imegisse procaciter, totam narrationem, jam inde à primis vt ita loquar instituunt rei gestæ incunabulis; causam, exordium, progressum dissentionum; locum, tempus designant accuratatione improbâ, non secus ac is qui *bellum Trojanum orditur ab ouo*. Atqui historici hæ sunt partes, eas autem quid assumis, quas nemo tibi imposuit, nisi aut tuamet ignorantia, aut nimia fortasse garrulitas, & loquendi prurigo, tibi Confessorique oppidò importuna? Equidem fateor in euentibus qui iustitiam concernunt, & vbi restitutionis aut contractuum agitur negotium, validine an sint, an inualidi, pluribus exponendam esse rei gestæ seriem; quandoquidem à minimâ sæpè circumstantiâ totius controuersæ pendeat iusta decisio. At in aliis sceleribus explicandis, nihil admodum requiritur, quàm vt factum exponas, neque alias narres circumstantias, quàm quæ speciem aliam crimini inducunt. Sic si conjugatæ vitium obtuleris, id sanè est explicandum; cùm per conjugii circumstantiam, fornicatio aliàs futura simplex, in adulterium degenerarit. Ceterùm peccata eiusmodi quibus natura ipsa, ob rei sæditatem, verecundiam induxit, verbis claris quidem, sed modestissimis explicanda sunt; & quæ pudicè non sunt admissa, minimè recitanda sunt impudicè. Atque hæ demùm sunt difficultates, quæ modo confitendi solent intercurrere, Confessionemque reddunt odiosam. At non id ex Confessionis institutione rursus, sed ex pœnitentis aut ignorantia, aut vitio exortum ducere, nemo jam non videt.

Denique nò
agat histo-
ricum, nec
fusè narret
peccata, sed
breuibus,

Et claris
sed pudicè
verbis.

§. VII.

Occurritur difficultati, quæ ex verecundiâ pœnitentis crimina fatentis petitur. Ostenditur quanta sit secreti ex Confessione exsurgentis obligatio. Denique injustum esse pudorem, & ferè phantasticum, qui à Confessione peccatorem deterret.

Objicitur
verecundiâ
confessionis.

VLtimùm quod obuoluebatur caput, ex quo clarè constaret Confessionem non nisi ingentem esse animi carnificinam, erat verecundia, ex criminum, præsertim occultorum declaratione, necessariò peccatori subeunda: quam quidem ita exaggerant aliqui, vt nullâ ratione ab homine modesti oris, eam asserant posse superari. Quid facies huic hominum generi, omnia per calumnias & conuitia agere solito: neque tam quid ferat ratio, quàm quæ grata sint improbis, temerè declamanti?

35.

Si vlla, exigua est Confessio criminosa, quia vni sit & secreto.

Etenim si ratione rem discutimus, Verecundia est aut Timor ingloriationis, vt rectè D. Thomas cum Philosopho statuit, aut ex eò saltem trahit originem. Quanta igitur obsecro debet esse verecundia, si iusta sit, vbi aut nullius, aut certè exiguæ admodum infamiæ subeundus est timor? An enim grauem quis dicet adiri infamiam, vni omnino homini, si scelus patefiat, & cui haustâ ex Confessione scientiâ nullo penitus euentu, nisi per summum sacrilegium, datum est vti? ne tum quidem, cum aliàs solus cum solo sermones misces, nisi fortè tu id volueris?

36.

D. T. 2. 2.
q. 144. a. 1.
in c. & a.
2. ad 2.

Ostenditur
quanta sigilli
Confessionis sit
obligatio

Et vt hac in parte pœnitenti penitus satisfiat, iuuabit fortasse dicere, quanta ex sigillo Confessionis oriatur tacendi obligatio. Quæ quidem tanta est, prout disertè Suarez docet, vt nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tuendâ totâ Republicâ ab ingenti malo temporali aut spiritali, violare illud liceat: & hanc dicit Theologorum omnium sententiam, contra vnum Altifiodorensis, qui solus docuit Confessionem reuelari posse, si reuelatio sit utilis ipsi pœnitenti, & credatur ei non fore ingrati, neque

37.

Suar. to 3.
in 3. p. disp
33. n. 2.

Con-

Ibid. n. 17. Confessionem propterea ei reddendam onerosam. Verum ut rectè Suarez, moraliter est impossibile quod assumitur; videlicet reuelationem Confessionis non esse onerosam pœnitenti. Tum etiam, quia licet demus ita contingere in peculiari casu, hoc est per accidens; & cessante in particulari sine legis, non cessat eius obligatio: præsertim, quia hîc non tam attenditur bonum pœnitentis, quàm ipsius Sacramenti.

Ibid. n. 18. Ita ille. Maximè autem officit bono Sacramenti, si Pœnitens sibi persuadeat, vllò in euentu Confessionem posse reuelari. Atque ex hoc capite etiam consequitur, ne ad euadendam quidem mortem posse Confessionis secreta detegi: non quòd cum tanto incommodo debeat quis pœnitentis famam tueri, vt quidam existimant; sed quòd Sacramenti à Christo instituti iura, etiam vitæ suæ impendio debeat Sacerdos propugnare. Sacramenti, inquam, bona atque integra fama, non tantum priuati hominis vitæ, sed & Reipublicæ totius indemnità longè debet anteferri. Unde fit vt etiam objecto morti corpore, omnibus enitendum sit, ne quidquam res tam sacrosancta in opinione hominum detrimenti patiatur. Pateretur autem quàm plurimum, si vllò in euentu crederent homines, ea quæ Confessionis commissa sunt, à Sacerdotibus posse reuelari.

Nullus datur casus in quo possit fieri Confessionis aliena reuelatio.

38. Quòd si autem legis tam rigidæ latorem inquiris; præterquam quòd juris naturæ eam doceant esse Theologi, Suarez statuit hanc tacendi obligationem, ipsius Sacramenti institutioni à Christo

Obligatio secreti venit ab institutione Christi.

Ibid. n. 10. fuisse conjunctam. Institutionem verò, talem fuisse, inquit, consensu & tradito Ecclesiæ satis docent. Vnde & istud clarè pronuntiat,

Ibid. n. 9. non posse Ecclesiam, hanc legem abrogare, neque in illà dispensare; imò etiamsi Summus Pontifex per impossibile præciperet hoc secretum reuelare, non esset illi parendum: quia præciperet contra ius Diuinum. Et hæc omnia constant ex sensu, & usu Ecclesiæ. Ita

Doctor ille celeberrimus. Alterum ex quo constare potest quàm hoc secretum Confessionis sit intrinsecum, est, quòd si quis non nisi per interpretem Sacerdoti confiteri possit, ab omni confessionis onere liber sit, & datis generatim pœnitentiæ signis, à Sacerdote nihilominus sit absoluentus. Ex quibus istud constare jam existimo, quàm exigua sit quæ per Confessionem subeunda est infamia; cum tota facinoris commisi fama, ex Christi institutione, vnius hominis scientiâ circumscribatur; quæ rursus talis est, vt etiamsi per sacrilegam impudentiam ea Sacerdos reuelauerit,

Nemo tenetur confiteri per interpres.

lauerit, nullam tamen ejus testimonium in foro exteriori faciat fidem. Et verò (quod euidentissimum est Diuinæ prouidentiae argumentum institutioni suæ præcauentis Dei) quamuis infiniti fuerint Sacerdotes apostatæ, qui Sacramenta omnia, Ecclesiasticasque consuetudines per summam impudentiam exagitarunt, nullum tamen audiuius Confessiones à se auditas reuelasse, aut ex reuelatis per ejusmodi apostatas confessionibus, cuiquam pœnitenti allatum incommodum, aut scandalum Ecclesiæ obortum. Adeò nimirum altè, etiam dum in hæresim sunt prolapsi, infixæ est eorum animis obligatio tacendi ea, quæ dum Catholici essent à pœnitentibus audière: & rursus, tanta est Christi à Sacramento, ejus auctoritate instituto inuidiam omnem amolientis industria & prouidentia.

Quòd si autem ne hæc quidem præcautio, verecundiam omnem auferat; pudeatque nihilominus pœnitentem, etiam penes vnicum hominè diffamari; certè in manu eius est Confessarium adire, cui minimè sit cognitus. Nulla enim lege cautum est, ut reus, quis sit, in hoc foro à Judice agnoscat; modò præsentis hominis, quisquis is sit, Rex an mancipium nihil refert, sciatur scelera. Ignoti autem apud ignotum quæ demum potest esse infamia? infamiae verò ubi timor non est, quæ demum potest esse verecundia? Ad incognitum autem Confessarium accedere, adeò non est illicitum, ut Suarez & Cardinalis Lugo clarè doceant, *si quis habeat ordinarium Confessarium, cui communia leuia peccata confiteatur, quoties verò aliquid graue occurrit, alteri confiteatur ut ordinario Confessori id occultet*, solitamque apud eum virtutis non interruptæ famam obtineat, contra integritatem huius Sacramenti minimè peccare, quantumuis Syluester crudè admodum docuerit peccari mortaliter. Vtitur enim pœnitens jure suo; iudex ex hypothese est legitimus; & peccata prout oportet exponit pœnitens; neque dum ad ordinarium redit, reticet peccata vlla, quæ non in foro pœnitentiæ ritè sint explicata: nihil autem ad legitimam Confessionem, præter hæc, requiritur. Atque hæc quidem ita intelligenda sunt, si tantùm ad euadendum verecundiam hæc fiant, & non ut diutiùs in occasionibus proximis peccandi mortaliter perseveret pœnitens: ex eo enim capite posset ea occultatio lethale crimen esse; non tamen adeò quòd scientia ordinarii Confessoris declinetur, quàm quòd non sit vera com-

missi

Christi prouidentia in cauendo secreto Confessionū ne reuelentur ab Apostatis sacerdotibus.

Consulendo pœnitenti licet Confessariū adire cui reus ignotus sit.

c. dilectus de Excell. Prælatorum.

39.

Snar. ibid. disp. 22. sect. 1. n. 13. Lugo de Pœn. disp. 16. n. 57.

missi criminis pœnitudo, cujus emendationem planè necessariam, tam anxie subterfugiat; & tanto artificio detrectet. Atque hoc modo omnem penè difficultatem, quæ ex subeundâ per Confessionem occulti criminis verecundiâ petebatur, autumo esse deterfam.

40. Cæterùm etiamsi faterer ita ingenitam esse homini verecundiam, ut eam quivis ratione non possit penitus superare, tum sanè gravissimum istud Concilii Tridentini Oraculum in mentem est reuocandum. Ita habet. *Ipsa verò huiusmodi Confessionis difficultas, grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur.*

Verecundia ex Confessione orta, per confessionis commodâ compensatur.

41. Etenim istud primum interrogo, an quidquam difficile videri possit perpeti, ei qui æterna sese supplicia promeruisse sine dubio confitetur? An vlla reconciliationi scelerum, & gratiæ certissimò obtinendæ, potest verecundia quantumuis magna comparari? Deinde si reticendo scelera, ea hominum oculis, iudicisque sententiæ in te aliquando ferendæ posses subducere, esset fortasse quo pudorem humanum aliquousque excusarem. At verò si pudori subeundo consulis, cur vni tantùm homini peccata non confiteris, aliàs pro totius orbis theatro per sũmum dedecus, & quidem à te ipso propalanda? Audi D. Augustinum rem hanc grauissimè perpendentem. *Si non confessus lates, non confitendo damnaberis. Times confiteri, qui non cõfitendo, esse non potes occultus. Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.* Perpende hæc tecum seriò ô peccator! illudque apud te statue, quâ fronte infamiam occulti sceleris, in celeberrimo orbis vniuersi confessu laturus sis, qui iam ad vnius hominis vultum erubescis, nec tui persimilis conspectumfers. O præposteram mortalium verecundiam! ô curas peruersas! Quantam eheu inter homines stragem edidit humanus pudor! libet profectò exclamare cum Bernardo, insanumque tamæ conseruandæ studium detestari. *Etenim, inquit, Peccatores esse volumus, & nolumus estimari; & ne ab vno quidem. Inuerecundi ad obscœnitatem culpe, erubescimus agere pœnitentiam, quod extreme dementiæ est: malè proni ad vulnera, peius in remedia verecundi.*

Declaratur in Confessione scelera, ut aternitate totâ occultentur.

D. Bern. ser. 1. de circumcif.

42. Et verò, non possum satis admirari quæ hîc satis apta sit verecundiæ materia, si, ut Tridentinum rectè statuit, commoda & consolationes

Erubesciã res non est per quam

peccator ^{fit}
justus & a-
micus Dei.

solationes quas hoc Sacramentum certissimè confert, non huma-
nâ ratiocinatione, sed fidei lumine perpendamus. An non enim
id liquidò ostensum est, in hoc throno non indemnitate tantum
scelerum, sed & innocentiam ipsam præstari? an non est demon-
stratum, præstitâ in hoc foro gratiâ, eo te posthac apud Deum
loco esse, quasi si nullo umquam scelere Diuina tecum amicitia
fuiisset interrupta; adeò vt ne ab ipsis quidem Angelis, peccato-
rem te fuisse, vllò tibi possit tempore exprobrari? Hoc autem
profectò quid est, nisi criminis non declarari tantum, sed fieri
innocentem? Hæc verò si ita sint, quis mihi erubescendam rem
esse persuaseric, per quam ipsius innocentia redditur gratia? Et
hæc quidem D. Chrystostomi est oratio. *Oportebat, inquit, quin-
imò cum alacritate hæc ipsa facere: non enim confusio accusare peccata
sua, sed iustitia & virtus. Quis autem confunditur de opere quo fit
justus? quis confunditur confiteri peccata sua, vt soluat peccata sua?
Num propter hoc iubet (Deus) confiteri peccata vt puniat? Non vt
puniat, sed vt ignoscat: nam in externis iudicijs post Confessionem
pæna. Ita Chrystostomus.* At in hoc miseri decipimur, quòd ab
humano foro, consuetam nobis iudicii formam, ad sacrum gratia
tribunal trahimus. Alia certè hîc sunt omnia. In illis, etiam
cùm condonantur scelera, tamen vt publicè ea consent, exigitur
facti confessio: in hoc verò ideò declarantur, vt perpetuò posthac
silentio innoluantur. In illis sola datur facti impunitas: in hoc au-
tem ipsamet amicitia Diuina restituitur. In illis reus solummodo
iustitiæ exercendæ eripitur; in hoc pœnitens justus fit. *Quis
autem confunditur de opere quo fit justus? quis centum millia æ-
ris debere se fateri erubescat, si ipsa debiti confessio, apud
creditorem habenda sit æris soluti, & sic expuncti præstatio?
Quis pudendam rem esse dicet, infirmitatis suæ confessionem
humilem, si ea ipsa sit dignitatis eximiæ, amicitiaque Regiæ ac-
quisitio?*

D. Chryf.
serm. de
Pœnit. &
remissio-
ne.

Adhortatio
ad peccato-
rem, vt ne
vereatur
vultum ho-
minis opti-
mam de ip-
so existima-
tionem ha-
bitari.

Erige itaque mentem Peccator: maleferiatum pudorem excu-
te; non enim erubescendum est fateri quod es, vt posthac non
sis, quem te fuisse pœnitet: neque hominis, ad cuius genua
supplex sis, vultum metue, aut de te ferenda iudicia expaues-
ce. Quid enim? an alio apud hominem hunc te futurum loco
existimas, quàm quò scit apud Deum esse te? Quid igitur te
vano metu torques? quid puerilibus terriculamentis nequid-
quam

Pfal. 95.
D. Aug. in
illud psal.

quam te exagitas ? Sanè Sacerdos te esse sentiet , non quem tu te peccando fecisti , sed quem ipse te absoluendo refecit : non attendet qualis veneris , sed qualis abeas ; abibis innocens , abibis sanctus , abibis denique amicus Dei : de quo testatur David, quòd *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus : sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus.* Quæ quidem verba sic exponit D. Augustinus : *Pulchritudinem amas ? confitere. Fedus eras ? confitere ut sis pulcher. Peccator eras ? confitere ut sis justus Si confessio & pulchritudo in conspectu ejus , sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus.* Summa enim Dei magnificentia est, gratiam reo præstitisse ; supplicem, in veterem gratiam benignissimè admisisse ; vno verbo, ut absoluam omnia , Dei summa gloria est, reconciliatio peccatoris.



Rrr 2

SEPTIMUM